

præsens disputamus, qvam ille, qvi est de Mutilatione
hujus Cœnæ Servatoris nostri. Atqve hæc causa est,
cur hunc potissimum errorem deligere & superioribus
duobus de Sanctis adorandis atqve Purgatorio, adjun-
gere hoc loco voluerimus. Quemadmodum enim illis, se Deo superiorem esse velle, ostendit Anti-Christus,
ita hoc æqve manifeste significat, qvod ea, qvæ Deus fieri a nobis voluit, propterea qve præcepit, possit inter-
dicere, proqve sua libidine iterum mutare, conjunge-
re, & post, qvando ita forte visum fuerit, rursum dila-
cerare, insuper habitis præceptis & Verbo Dei.

§. II. Inscrabitur hic error alias de Mutilatione S. Cœnæ, alias de Communione sub una specie, qvod, qvid sibi velit, ut intelligatur, rem ipsam breviter expōnemus. Scilicet Christus Jesus Servator noster. Testamento reliquit nobis, adeoqve vel hac ratione serio voluit, atqve etiamnum vult, ut verum corpus ac sangvinem illius sub specie gemina, hoc est, Sub, In, & Cum pane atqve vino consecratis omnes, qvotqvot in Ecclesia illius vivimus, & comedamus subinde & bibamus. Pontifex maximus e contrario, cum Conciliis suis, Decretis, & Canonibus, nulla addita ratione vel ut pro imperio, &, qvasi plus qvam præatoria auctoritate prædictus esset, præcipit & mandat, ut non omnes, sed Clerici tantum, & illi qvidem confidentes, hoc est, qvando Sacra (missam intelligo) faciunt, sumant utramqve speciem, adeoqve & panem comedant in Corpus Christi (liceat ita loqui cum Barbarizantibus) transubstantiatum, & vinum bibant in Sangvinem Christi iterum, nescio qvomodo, transubstantiatum. Deinde vero Laicis (hominibus Sacra nunquam facientibus) & Clericis non confientibus ita præcipit, nulla iterum reddita ratione, ut sibi falso persvadeant,